



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,  
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1679**

Arnaldi Cescomitis Archiepiscopi Tarraconensis epistolæ duæ de  
Sarracenis ab Hispania pellendis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14735**

alio curabimus opportuno remedio providere. Datum Avenioni tertio Nonas Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

ARNALDI CESCO MITIS  
Archiepiscopi Tarraconensis epistolæ duæ de  
Sarracenis ab Hispania pellendis, prima ad  
Benedictum XII. Papam, altera ad Ioan-  
nem de Convenis Episcopum Cardinalem Por-  
tuensem.

Domino Nostro Summo Pontifici.

SANCTISSIME PATER & DOMINE. Iam credo ad ve-  
stram audientiam pervenisse qualiter Rex Mar-  
rochitanorum, blasphemus Christi, & fidei catholi-  
cæ inimicus, capta nuper per eum civitate de Trini-  
ci, & Rege ipsius & ejus filiis interfectis, in tantam  
superbiam est elatus quòd facit paratum hostilem ta-  
lem & tantum quòd à multo tempore non est auditus  
similis ad Christianos Hispaniæ hostiliter invaden-  
dos; & misit & mittit victualia & arma & alia ne-  
cessaria ad regnum Granatæ, in quo jam habet loca  
de Gibaltari & de Algezira, intendens Regem Gra-  
natæ adjutorem habere, ut opportuniùs & liberiùs  
possit invadere Christianos. Propter quod Dominus  
Rex Castellæ ad resistendum eidem ad civitatem  
Hispalensem jam dicitur accessisse. Verùm quoniam  
prædictus Christi blasphemus ad regnum Valentia  
dicitur specialiter aspirare, ut conditio & periculum  
ipsius regni vestram non lateat sanctitatem, eidem  
humiliter significo quòd licet recolendæ memoriæ  
Dominus Iacobus Rex Aragonum, qui dictum reg-  
num de manibus Sarracenorum eripuit, votum vo-

An. 1337.

Vide Indices  
Suritæ ad an.  
1337. & Ma-  
rian. lib. 16.  
c. 2. 6.

verit Domino quòd Sarracenos in eo non permitte-  
ret remanere, & Dominus Petrus Tarraconensis  
Archiepiscopus, qui tunc aderat, de voluntate ipsius  
Domini Regis excommunicationis sententiam tulerit  
contra omnes qui loca sua in dicto regno de Sarracenis  
præsumerent populare, ut nomen Christi laudarent  
ibidem, abolito penitus nomine Machometi, ex cœca  
tamen cupiditate Christianorum credentium majores  
redditus à Sarracenis quàm à Christianis habere,  
cùm contrarium tamen Abbas monasterii Populeti  
Cisterciensis ordinis in quodam bono quem ibidem  
habet, de quo Sarracenos noviter expulit, est expertus,  
Sarraceni prædicti huc usque sustinentur in ipso  
regno. Dicuntur esse in dicto regno quadraginta  
vel quinquaginta millia Sarraceni apri ad arma  
portanda & experti in exercitio eorundem: propter  
quos timetur verisimiliter & communis habet opinio  
ipsum regnum, quod Deus avertat, perditionis  
periculo subjacere. Dicti namque Sarraceni, ut facti  
experientia multotiens comprobavit, quandounque  
Sarraceni Granatæ, qui vicini existunt, vel alij  
incipiunt invadere dictum regnum, tamquam hostes  
publici adhærent eisdem: qui quanto plus in ipso  
regno sciunt, & ipsius infirma cognoscunt, tanto  
plus nocent. Nunc etiam, postquam scierunt dictum  
apparatum fieri, dicuntur sua facere conventicula,  
in quibus studia sua convertunt quomodo possint  
prodere dictum regnum. Multa insuper propter eorum  
damnata familiaritatem & communicationem per  
Christianos peccata enormia committuntur ibidem;  
& per ipsos Sarracenos blasphematur utique nomen  
Christi, & nomen Machometi laudatur. Audivi namque  
à bonæ memoriæ Episcopo Valentino hoc publicè prædicante  
quòd tot vel plures sunt in sua diocesi Mezquitæ  
Sarracenorum quot Ecclesiæ Christianorum, & tot vel  
plures nescientes oratio-

nem dominicam & scientes loqui algaraviam seu Sar-  
racenicè quot è contrà. Dignetur igitur supplico su-  
per prædictis vestra clementia de remedio congruo  
providere : quod non videtur posse fieri nisi prædicti  
Sarraceni de dicto regno expellantur omnino. Et ad  
hoc Dominus Rex Aragonum daret , ob Dei hono-  
rem & ipsius securitatem & commodum , auxilium  
& favorem. Ad quod faciliùs inducerentur Domini  
eorundem , si personæ & bona dictorum Sarraceno-  
rum , tamquam infidelium & publicorum hostium  
quando possunt , possent licitè distrahi atque ven-  
di , quorum pretium ad defensionem dicti regni esset  
non modicum profuturum. Almam personam &c.  
Datum Turolij v i i. Kal. Augusti anno Domini  
MCCCXXXVII.

Servus & factura vestra  
Arnaldus Archiepiscopus Tarraconæ.

*Domino Iohanni Portuensi Episcopo.*

Reverendissime Pater & Domine. Timens de  
magno & propinquo periculo , nisi provideatur de  
remedio opportuno , supplico Domino Nostro Sum-  
mo Pontifici sub hac forma. *Sanctissime Pater &  
Domine &c.* Quapropter paternitati vestræ supplico  
quatenus dignemini sibi litteras præsentare & circa  
dictum remedium insistere apud eum. Recommendo  
gratiæ vestræ me & Ecclesiam Tarraconæ. Datum  
ut supra.

Archiepiscopus Tarraconæ.

*Eidem.*

Reverendissimo Patri Domino Iohanni divina  
providentia Episcopo Portuensi Archiepiscopus  
Tarraconæ. Ad vestram credo audientiam pervenisse  
qualiter Rex Marrochitanus blasphemus Christi pa-  
rat se ad Hispaniam invadendam. Et jam multi de

gentibus suis transiverunt ad regnum Granatæ & transeunt, ut dicitur, tota die. Et specialiter contra regnum Valentiaë, ut dicitur, comminatur. Quod quidem regnum non est sine magno periculo propter multitudinem Sarracenorum qui sunt populati in eo, qui statim adhærerent aliis Sarracenis, ut experientia comprobavit. Qui Sarraceni ex sola Christianorum avaritia sustinentur, non obstante quòd felicitatis recordationis Dominus Iacobus Rex Aragonum, qui dictum regnum eripuit de manibus Sarracenorum, promisit & vovit quòd in dicto regno Sarracenos non permetteret remanere, & quòd bonæ memoriæ Petrus tunc Archiepiscopus Tarraconæ de voluntate ipsius Domini Regis tulit excommunicationis sententiam contra illos qui loca sua popularent de Sarracenis, aut quòd per dictos Sarracenos in dicto regno multa nefanda crimina committuntur & blasphematur etiam Christus. In dicto autem regno tot Mesquitæ quot Ecclesiæ esse dicuntur. Quapropter non solùm expediret, sed esset necessarium quòd Dominus Noster summus Pontifex mandaret Domino Regi Aragonum quòd ipsos Sarracenos expelleret de regno prædicto. Super quo ipse voluntariè obediret quantum ad loca sua; sed vellet, quantum ad loca aliorum, habere mandatum. Et verè dicti Sarraceni possunt dici Christianorum hostes, quia cum possunt nocent; nec deest eis nisi nocendi facultas. Propter quod videtur quibusdam quòd eorum personæ & bona capi & distrahi justè possunt. Et tanquam experti in armis, & scientes conditionem dicti regni, possunt multùm nocere, in tantum quòd multorum est opinio quòd propter dictos Sarracenos perdi debeat dictum regnum. Propterea dominationi vestræ supplico quatenus ob Dei & fidei catholicæ reverentiam dignemini eundem Dominum Nostrum summum Pontificem de prædictis omnibus informa-

re ac insistere apud eum quòd dignetur de opportuno remedio providere. Recomendo gratiæ vestræ me & Ecclesiam Tarraconæ. Datum Turolij VII. Kal. Augusti anno Domini MCCCXXXVII.

*BALDVINI DE LVXEMBVRO  
Archiepiscopi Treverensis litteræ de confæderatione facta cum Philippo VI. Francorum Rege.*

**B** Aldevvinus Dei gratia sanctæ Treverensis Ecclesie Archiepiscopus, sacri imperij per Galliam Archicancellarius. Cum iis quos divina gratia folio majestatis & status sui magnitudine benignè extollit ligam specialis amicitie libenter contrahimus, per quos nobis ac nostræ Ecclesie promotiones, utilitates, & commoda provenire speramus. Notum igitur facimus universis quòd nos serenissimo & præclaro Principi Domino Philippo Francorum Regi, cujus salutis & honoris continuum incrementum ex iustis & rationabilibus causis nos moventibus ex intimis affectamus, tenore præsentium promittimus bona fide quòd ipsius ex nunc simus & esse debeamus & velimus in perpetuum, quandiu vixerimus, bonus, fidelis, & confæderatus amicus, ita ut omnia & singula ipsius negotia præsentia & futura cum quibuscunque promoveamus & procuremus & eisdem intendamus, quatenus commodè poterimus, apostolicæ sedis & nostro honore salvo, per meliores vias quas possumus invenire seu cogitare ad ejusdem Domini Regis utilitatem & profectum, & quòd damna ejus evitemus & impediamus absque fictione, omni ingenio malo cessante. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum.

Anno 1342.